

www.e-rara.ch

**Iani Damiani Senensis ad Leonem X. Pont. Max. de expeditione in Turcas Elegeia, cū
argutissimis doctissimorum virorum epigrammatibus**

**Damiani, Giano
Chalcondylas, Basilius
Constantinus Achazas
Decius Syllanus
Factius Polydorus
Foderè, Pietro
Giovio, Paolo
Delius, Hieronymus
Parrasio, Aulo Giano
Ptolomaeus, Phoebus
Soranus, Paulus
Vitalis, Janus**

Basileae, Mens Avgvsto. M. D. XV

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: III M 75,4

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-64190>

Reverendissimo domino cardinali Grymano Erasmus Roterodamus s.d.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

REVERENDISSIMO DOMINO CAR-
DINALI GRYMANO ERASMVVS
ROTTERODAMVS. S. D.

Quo minus a primo, illo & eodem postremo
cōgressu repetiuerim dominationē tuā reue-
rendissimā, quemadmodū & illa iusserat, &
ego me facturum receperam, non mea ne-
gligentia, sed tua magis inusitata quādam, & singula-
ris comitas humanitasq; fuit in causa, ac prorsus no-
uo factū est modo, ut quæ res uel maxime debuerat
ad reditum inuitare, ea sola deterruerit ne redirem.
Quid tandem istuc nouæ rei fuit inquires. Dicam equi-
dem simpliciter, & quod hominem decet Germanū,
ingenue. Id temporis omnino decretū erat adire Brī-
tanniā. Huc me ueterum necessitudinū affectus, huc
potentium amicorū amplissima promissa, huc regis
omnium florentissimi propensissimus in nos anim⁹
uocabat. Hanc insulam mihi, patriæ uice, adoptaram,
hanc senectuti meæ sedem delegeram. Inuitabar, imo
flagitabar, crebris litteris, modo non montes auri pol-
licentib⁹. Quibus ex rebus, homo strenuus alioqui pe-
cuniarū contemptor, tantum auri uim animo conce-
peram, quanto uix decem Pactolos eluendo suffectu-
ros crediderim. Proinde uerebar, ne si redissem ad tuā
celsitudinem, uerterē animi decretum. Etenim qui pri-
mo statim colloquio, sic labefactaras, sic inflammaras
animū meum, quid factur⁹ eras, si diutius ac propius
fuissem

fuissem congressus? Quod enim uel adamantinū pe-
ctus non flectat, tam amabilis ista morum tuorū co-
mitas, tam mellita facundia, tam exquisita doctrina,
tam fida iuxta & amica cōsilia? Deniq; tanti primatis
tam expositus ad bene merendū animus? Sentiebā
iam tum sensim labascentem animi sententiā, & cœpe-
rat quidem instituti suppœnitere, & tamē pudebat ui-
rum parum constantē uideri. Sentiebam urbis amo-
rem, quem uix excusseram, denuo tacitis auctibus gli-
scere, proinde nī me repente Roma diuulsissem, nun-
quam deinde fueram Romā relicturus. Abripui me
ne rursus afflarer, & in Angliam auolaui, magis quā
profectus sum. Quid nunc igitur inquires, num pœni-
tet consilij? num pœnitet non obsecutum fuisse aman-
ter admonenti? Mentiri sane nō est meum. Varie res
hæc afficere solet animum meum, neq; enim non pos-
sum tangi Romæ desyderio, quoties tantus tantarū
simul cōmoditatum aceruus in mentem uenit. Primū
urbis omnium multo celeberrimæ lumen ac theatrū,
dulcissima libertas, tot locupletissimæ bibliothecæ,
suauissima tot eruditissimorum hominū consuetudo,
tot litteratæ confabulationes, tot antiquitatis monu-
menta, deniq; tot uno in loco totius orbis lumina.
Speciatim autem quoties succurrit cum aliorum Car-
dinalium, tum uero præcipue, Reuerendissimi Nane-
tensis, mirum quoddam erga nos studium, Bononi-
ensis ppenissimus fauor, diui uero Georgij non iam
fauor modo, uerū etiam benignitas haud quāq; uul-

H. garis,

garis, super omnia felicissimū illud cū R. D. T. collo-
quium. Hæc uidelicet faciūt, ut nulla prorsus fortuna
tam benigna possit obtingere, quæ Romæ semel de/
gustatæ desyderiū eximat animo meo. Iam apud Bri-
tannos tametsi fortuna contigit non usquequaq; pœ-
nitenda, certe meis aliquanto maior meritis, tamen ut
uerū fatear, non omnino respondet, nec uotis nostris,
nec amicorum pollicitis. Quæ res non tam accidit il-
lorum perfidia, q̃ temporum iniquitate. Nam regem
ipsum, alioqui multo regum omnium benignissimū,
ad hoc optime de Erasmo, tum sentientē, tum loquen-
tem, id quod partim ipsius ad me litteris, partim mul-
torum prædicatione compertissimū habebam, subito
ingruens bellorum procella, prope totum nobis eri/
puit. Tanto animo, tanto studio, pius ac generosus a/
dolescens bellum apparabat, quod ad ecclesiæ Roma-
næ dignitatem tuendam pertinere iudicabat. Et Gu-
lielmus Montioius, uetustissimus, post R. P. ac D.
Henricum Bergium episcopum Cameracensem, stu-
diorum meorum Mœcenas, sic obrutus est belli one/
rib⁹, ut magis amaret q̃ succurreret, uir antiquæ sane
nobilitatis, & incredibili beneficentia, erga bonarum
litterarum cultores, uerum ut inter huius regni Baro-
nes, anio magis q̃ re beatus. Vt ne quid interim me-
am ipsius lentitudinem incusem, homo usq; adeo nō
ambitiosus, ut plane Timothei fortuna sit opus, quæ
dormientis impleat rete. Attamen quo minus poeni-
tere queat aditæ Britannia, Gulielmus Archiepisco-
pus

AD GRYPANVM CARDINALEM:

pus Cantuariensis, totius Angliæ, non titulo tantum,
sed omni decorum genere primas, potissimum fuit in
causa, uir modis omnibus incomparabilis, ac prorsus
unicum eius regni & ornamentum & præsidium, sapi
entia, iudicio, doctrina, autoritate, maximus, sed hoc
tamen seipso maior, quod ob singularem quandam mo
destiam, solus ipse magnitudinem suam non agnoscit.
Mira uitæ sobrietas, summa dexteritas ingenij, animus
impiger, & ab ocio prorsus abhorrens. Magnus rerum
usus, ut qui in grauissimis legationibus, maximisque re
rum & regni negotijs, iam olim sit uersatus. Vnde fit
ut tot rebus administrandis, quot aliorum complures
uiuæ sufficiant, unus non modo par sit, uerum etiam super
sit, quod euoluendis bonis autoribus, quod priuatis
amicorum affectibus impartiat. Nam præter Episcopi
functionem, totius regni Cancellarium, hoc est summum iu
dicem agit. Is me sic amore complectitur, sic ornat autorita
te, sic benignitate fouet, in summa sic ubique mirum quendam
præstat Mæcenatem, ut si pater esset, non possit indulgere
tius, si frater, non possit amari. Vnde factum est, ut quod
Romæ in tot egregijs Cardinalibus, in tot ornatissimis
Episcopis, in tot eruditissimis uiris reliqueram, id totum in
uno homine mihi uiderer recuperasse. Nunc uero posteaquam
opa Leonis Pontificis, uere maximi, pax est orbi restitu
ta, multo quidem commodior est Britannica fortuna, & tamen
acrius etiam, Romæ desiderio, titillatur animus, dum &
passim famæ præconio celebratur, & ueri simillimum est,
sub tali principe ueluti signo dato, quicquid usque geritur est

Hic eruditionis

eruditionis eximia, quicquid egregiae uirtutis, hoc tē-
 pore Romā uelut in suum theatrum concurrere. An-
 te biennium igitur adornaram iter, comes futurus Re-
 uerendissimo patri D. Ioanni Episcopo Roffensi, ui-
 ro omniū episcopaliū uirtutum genere cumulatissi-
 mo, & ut compendio laudes illius explicem, Cantuari-
 ensis cui subsidiarius est, simillimo, uerum is exitinere
 subito reuocat⁹ est. Rursum anno superiore meis au-
 spicijs Basileam usq; processerā. At hic quoq; res quae/
 piam est remorata, nescio quid alij sensuri sint, at meo
 iudicio maxima. nam maximū fuerit oportet, quod
 ab urbe potuerit auocare. Iampridem hoc moliebar,
 haud sane mediocrib⁹ uigilijs, uti diuus Hieronymus
 nobis totus quasi renasceretur, quem sic latini sum-
 mum habemus theologum, ut prope solum dicere li-
 ceat, sed eundem adeo deprauatum, adeo confusum,
 adeo contaminatū, ut cum non sit alius aequae lectu di-
 gnus, tamen unus maxime sit, qui legi non possit, ne-
 dum intelligi. Huius igitur lucubrationes omnes, pra-
 sertim epistolares, in quibus plurimum erat negocij,
 primum in ordinem digessimus, deinde mendas qui/
 bus obrutus erat magis q̄ oblitus, ueterū auxilio co-
 dicū, nostroq; ingenio sustulimus. Addidimus cum
 argumentis cōmoda in loco scholia, quo possit uel a
 mediocriter eruditis inoffensus legi, qui ante hac, di-
 cam audacter, sed uere, nec ab eruditissimis intellige-
 batur. Nam quemadmodum olim Romulus dictus
 est, non minus magnificus ostentator egregiorum fa-
 cinorum

cinorum q̄ gestor. ita uidere est in diuo Hieronymo
 nouam quādam & uariam eruditionem, cum sancta
 quadam ostentatione cōiunctam. Græca & Hebrai-
 ca, quæ uel deerant prorsus, uel sicerant ascripta, ut
 præstiterit nihil ascriptum fuisse, sūma cura restitui-
 mus. Supposititia & adulterina, quæ quidem bona
 pars est, in suum relegauimus uolumen, ut nec desyde-
 raret aliquid auidus magis q̄ eruditus lector, nec rur-
 sum indoctissima blateramenta tam incomparabilis
 uiri titulo diutius circumferrentur. Equidem perspicie-
 bam Italiam & bibliothecarum auxilijs, & regionis
 autoritate, ad operis æditionem magno usui futurā,
 sed commodum offendi Basileæ quosdam ad id ope-
 ris accinctos, imo iam aggressos, præcipue Iohannem
 Frobeniū, cuius & arte & impendio magna ex parte
 res agitur, Nec non treis doctissimos iuuenes fratres
 Amorbachios, Hebraicarum quoq; litterarū pulchre
 doctos, atq; his litteris non paucis in locis utitur Hie-
 ronymus. Ac mihi quidem hac in parte, iuxta Græco-
 rum prouerbium, Theseo quopiam fuit opus, ut qui
 litteras eas uix primoribus, ut aiunt, labris degustas-
 sem. His igitur in laboris partem ascitis, Herculano,
 quod aiunt, animo negocium aggressus sum. Feruet
 ingens officina, excuditur elegantissimis formulis di-
 uis Hieronymus, imo renascitur, tantis impendijs &
 pecuniarum & sudorum, ut minoris constiterit Hie-
 ronymo sua conscripsisse, q̄ nobis restituisse. Mihi certe
 tātum hic laboris exhaustum est, ut parum abfuerit,

quin ipse immorerer, dum studeo, ut ille renascatur. Summa, ni fallor, operis, ad decem uolumina succrescet. Sed quorsum hoc mihi inquires. Primū sciebam te pro perpetuo quodam tuo erga bonas litteras studio, pariter & Hieronymo gratulaturū, & nostris fauturum conatibus, imo fauturum pietati Christianæ, cui plurimum adiumēti ex Hieronymianis litteris accessurum spero. Atqui hæc res, citra plurimarum & locupletissimarum bibliothecarum auxilia confici, ut dignum est, non potest. Proinde si quid habet uel tua bibliotheca, quam domi habes ditissimam, & omni iugis omnium linguarum libris refertam, uel summi Pontificis, aut aliorū, pietatis tuæ fuerit, in publicam orbis utilitatem impartire. Deinde mihi uisum est uehementer congruere, ut summus theologus summi Pontificis felicib⁹ auspicijs exiret in manus hominū, ita restitutus, ut antehac nec æditus uideri possit, utq; scriptor omnium eruditissimus, eius nomine cōmendaretur orbi, e cuius familia tot litterarum proceres nobis prodijissent. Sic enim pariter fore, ut ex tam eximij Pontificis autoritate, multum Hieronymo splendoris, ac dignitatis adiungatur, & uicissim ex eminentissimi doctoris celebritate, non mediocris accessio fiat Leonis gloriæ. Nec enim uideo, quo nam alio monumento magis possint illius decora immortalitati consecrari. Huic igitur renatum Hieronymum consecrabimus, præsertim si nostro iudicio tuus accedet calculus. Nam alioqui propemodum erat decretum, dica-

AD GRYPANVM CARDINALEM.

re Cantuariensi, cui debemus omnia. Quanquam is quoq; lubens ac uolens, hoc quicquid est gloriæ, Romano Pontifici cessurus est, sat scio. Eo est in istam sedem animo. Et nos huius memoriam ita cum Leonis laudibus copulabimus, optimi cum optimo, primatis cum primo, ut hac uia rectius, etiam cōsultum fuerit, & Hieronymo, & Mæcenatis mei nomini. Edidimus præter alia permulta, Chiliadum opus a nobis emendatum, & ita locupletatum, ut quarta uolunt minis pars accreuerit. Proxima æstate emissuri, uarias, nec infrugiferas, ut opinor, annotationes nostras in nouum testamentum, una cum apostolicis epistolis, sic a nobis uersis, ut intelligi possint. In quo labore ita puto me uersatum, ut non sine causa post Laurentium Vallam, post Iacobum Fabrum, uirum iuxta doctum, ac diligentem, uidear hoc negocij suscepisse. Est in manibus libellus de instituendo principe, quem illustrissimo Carolo archiduci Burgundiæ, Maximiliani nepoti, destinauimus. His defuncti rebus cōmentarios, olim in Paulum inceptos, in manus reuocabimus. Decretum enim est, quicquid superfuturum est æui, id totum arcanis dedicari litteris. Nec ullus labor ab instituto deterrebit, si tuo tuiq; similibus fauore fulciemur. Scis enim iam uetustissimum illud esse, ut inuidia, quauis excetra nocentior, egregijs conatibus semper obsibilet. Id quod nuper in summo illo uiro Iohanne Reuchlino, non sine summo animi dolore conspeximus. Iam par erat, iam
tempus

tempus erat, ut homo uenerandæ senectutis, suis pul-
 cherrimis studijs frueretur, & ex honestissima iuueni-
 lium semēte laborum, suauissimam caperet messem.
 Cōueniebat, ut uir tot linguis, tot disciplinis instruct⁹
 hoc uelut ætatis autumnus, diuitem ingenij prouentū
 in uniuersum orbem effunderet. Ad hoc erat laudi-
 bus extimulandus, præmijs inuitandus, studio inflā-
 mandus. Et exortos audio, nescio quos, qui cum ipsi
 nihil præclarum efficere possint, peruersissima uia glo-
 riam affectent, deum imortalem q̃ priuolis ex nugis
 quantas Tragedias concitarunt, ex libellulo, imo epi-
 stola, eaq; Germanice scripta, quam nec ediderit ipse,
 nec edendam putarit, tātum excitari tumultus? Quis
 unquam uel scriptum nouisset eum libellum, nisi isti
 mūdo publicassent. Quanto placabilius erat, si quid
 ibi fuisset erratū, ut errant homines omnes, id uel pre-
 mere uel candide interpretari, aut certe tam eximijs
 hominis uirtutibus condonare. Non hoc dixerim, qđ
 illic ullum uideam erratum, qua de re sane aliorū est
 pronunciare. Illud dicam, si quis ad istum modum
 maligni⁹, & ut græci dicūt, ἀποτόμως, excutiat diui Hie-
 ronymi libros, permulta reperiet a nostrorum theo-
 logorū decretis longe lateq; discrepantia. Quorsum
 igitur attinebat uirum & litteris & ætate uenerabilē,
 ob rem nihili in huiusmodi pertrahi turbas, in quib⁹
 iam septimū opinor perdit annum? Utinā hoc opæ,
 utinam hoc temporis, licuisset adiuuandis honestissi-
 mis litterarum studijs impendere. Nunc omnibus di-
 gnus

AD RAPHA. DIVI GAEOR. CARD.

gnus premijs, molestissimis litibus inuoluitur, nō me-
diocri doctorum omnium, imo totius Germaniæ &
dolore & stomacho. Quanq̃ his omnibus spes est fu-
turum, ut uestra opera uir tam eximius & orbi resti-
tuatur & litteris. Hyeme proxima Roma nos uidebit
si modo fauerit Christus optimus maximus, & regia
maiestas, una cum Archiepiscopo Cantuariensi, de-
nuo facultatē p̃mittent abeundi, quam si non ipse, cer-
te diuus Hieronymus ab illis impetrabit. Reuerendis-
simā D. T. in plurimos annos incolumem ac floren-
tem nobis, imo litteris & orbi seruet optimus ille Sa-
marites Christus, cui me totū addico dedicoq̃. Lon-
dini. Pridie Kalen. Apriles. An. M. D. XV.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PA-
TRI AC DOMINO D. RAPHAELI,
CARDINALI SANCTI GAEORGII,
ERASMVS ROTERODAMVS,
S. D.

QVod annis iam aliquot meæ siluerunt litte-
ræ, non tuorum in me meritorū obliuio fuit
in causa, Reuerēdissime pater, quæ sane nec
desij, nec desinam unquam, uel prædicare
uel meminisse, sed partim pudor quidā obstitit, quod
improbum existimarem, tot grauissimis negocijs di-
strictum, nostris insuper interpellare nugis, etenim ali-
quoties officiosum est, non salutare. Partim tempore
I ipsorum